



B. C. D.

LECTORI HONORATISSIMO

S. P. D.

GEORGIUS FRANCUS.



Uⁱ LIBERORUM & LIBRORUM eundem esse statum & fatum dixerit, abs ratione forte non dixerit. In vulgus quippe patet, (immo vel è brutis cognoscenda esset,) admirabilis illa φιλοσοφία, qua Parentes in fetus feruntur suos, adeo ut omnem moveant lapidem, pro eorum vita, salute, cura atque educatione: nec curas curant, nec insomnes fugiunt noctes, nec pericula reformidant, nec labores etiam fastidiosissimos averfantur, saltim ut liberis suis opitulentur, sibi que male esse probè perferunt, modo illis bene sit. Quid enim dulcius hominum generi à natura datum est, quam sui cuique liberi, adcoque

à natura ipsa tributum est, ut ii, qui procreati essent, à procreatoribus amarentur, consentiente Romulidum disertissimo.

Ubi vero Parentes in censum Libitinæ præcipiti fato veniunt, tunc miselli orphani omnibus adversis, miserrimisque miseriis exponuntur, immo de salute, forte & haut raro de vita eorum, quam Parentes tanto molimine promovissent, (siquidem magna est vis humanitatis!) planè actum esset, nisi vel Magistratus nobili officio, vel Cognatorum consanguinitate, vel aliorum Cordatorum benignitate & commiseratione ipsis patrociniū offerretur, & tutela, sive parentela quædam; hacque bonorum Tutorum vel Curatorum providentia Parentum vices supplerentur, quo tandem DEO & Patriæ Proximoque possint esse utiles.

Pari ratione comparatum est cum LIBRIS, quorum conditores maximam habent curam, & cum solitudine nocturna diurna que manu versant exemplaria docta, unguesque rodunt, & pulpita pulsant, ut fetus ingenii sui cultiores in publicum dimittant, in Reip. Literariæ salutem & emolumentum.

Ubi autem fatalis imminet hora, (siquidem rectè NASO ita:

Fata manent omnes, omnes expectat avarus

Portitor, & turba vix satis una raris.

Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam,

Omnia sub leges mors vocat atra suas!)

vitæque flamen Auctoris studiosi & eruditi rumpitur, una tenelli fetus vel plane pereunt, vel in alienas delabuntur manus. Sicuti quoque Is comminuit vitrum, Midas rodit fabam, Ips vitium gemmas enecat, Cis frumentis nocet, Sis vestibus inhiat, Trips ligna exedit; ita Blatæ Tineæ que de tanto Cerebri politioris Palladio triumphum agunt, quando ipsis in prædam cedit, adeo ut nec à pluviis, nec à muribus sint satis tutæ chartulæ pupillæ.

Ab injuriis ergo talibus masculè haut rarò vindicantur aliorum cordatorum ope & solitudine, qui manum posthumo tali obstetricem admovent, & in Reip. literariæ salutem, DEI gloriam, & Auctoris immortale monumentum protrahunt in dias luminis auras. Sed veluti TULLIUS conjectat Parentes illos omnium fortunatissimos, si, antequam moriantur, filios videant promotos: siquidem, eodem rectè censente, nihil nobis natura jucundius, nihil carius esse voluit, nihil dignius, in quo omnis nostra diligentia indulgentiaque consumatur. Quare dum habemus liberos parvos, & incertum est, quam longa nostram cuique vita fu-